

1524 mum ; qui licet in neutram partem initio propendere videtur , postquam tamen Gallos Mediolano potitos persensit , ne Ecclesiæ ditiones superioribus annis diu bellis vexatas novis calamitatibus objiceret , a pacis , foederisque cum Rege societate minime aversus esset ; quippe qui cum Senatu ageret , ne Gallorum amicitiam aspernaretur , pacique publicæ consuleret ; proprium illud Venetorum semper prudentiæ fuisse , pericula primum saluberrimis consiliis repellere ; in ea conjectos virtute , constantiaque superare . Contra foedera superiore anno sancte cum Imperatore icta mentes solicitabant , quibus deesse indignum eo Senatu videbatur , qui jura amicitiae etiam diffisit gentibus , atque ab institutis , ac religione abhorrentibus servasset . His fiebat , ut difficillima , ac periculi plena ea deliberatio esset . Primum igitur Urbinate copiarum Imperatore , & Petro Pesareo , qui denuo Legatus fuerat declaratus , Venetiis discedere jussis , injunctum fuit , ut ne quid Reipublicæ civitates , oppida , agri , incolæ detrimenti paterentur , omni opera , curaque providerent ; statimque Senatu convocato , dissentientibus Senatorum , qui præcipui ea tempestate erant , sententiis , disceptatur : Dominicusque Trivisanus , ac Aloysius Mocenicus , qui tunc primi ordinis Praëconsultores erant , atque prudentia , & eloquentia ea tempestate florebant , magnis certaminibus e suggestu in Senatu acerrime pro utraque parte differuerent . Primum Dominicum Trivisanum , Marcium Procuratorem , ætate , rebusque pro patria terra marique gestis clarum , in hanc sententiam dixisse ferunt .

Dominice
Trivisani
Procurato-
ris oratio.

Si unquam ulla in re sapientiam vestram , maximumque rerum gerendarum usum , Amplissimi Patres , in consiliis capiundis Respublica desideravit , eadem potissimum difficillimo hoc tempore a vobis suo quodam jure requirit ; ut qui ex cunctis civibus propter egregiam virtutis opinionem in amplissimum Senatoriæ dignitatis gradum cooptati estis , iidem Senatorio munere , dum de rebus gravissimis decernendum est , strenue perfungamini . Non enim res hujusmodi agitur , quæ in utramvis partem propendeant consilia , parum momenti ad publicam incolumitatem allatura sit ; sed hoc uno Senatus consulo , bellumne cum potentissimo Francisco Galliarum Rege suscipiendum , atque hæc civitas , universumque imperium , quod nomini Veneto pa-

ret ,